



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XLI. De in integrum restitutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITVLVS XLI.

## DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

## §. I.

*Quid sit Restitutio in integrum, & quæ ad illam requirantur?*

**R**estituere in integrum aliud non est, in genere loquendo, quàm in pristinum statum reponere læsum, in quo quis fuit ante læsionem. Ut autem concedatur alicui restitutio in integrum, qui in contractu aliquo aut alio actu læsus fuit, debuit contractus sive actus ille fuisse validus; si enim invalidus ille fuit, non datur locus restitutioni in integrum, remedio extraordinario, quia tunc læsus ordinario remedio uti potest, ad nullitatem actus declarandam agendo. Secundò requiritur ad concedendam restitutionem, ut de læsione vel manifestò constet, vel ut ea in iudicio probeatur à læso, non quidem per iuramentum tantùm, sed per testes, vel alia legitima documenta. Tertio requiritur ut læsio sit gravis seu magna, saltem respectivè, & notabilis (de minimis enim seu modicis, ad cavendam litium multitudinem, non curat Prætor, à quo beneficium hoc restitutionis habetur) non quidem ut læsio fuerit facta in dimidio iusti pretii, hæc enim læsio ordinario remedio tuta est, quo rescinditur venditio v. g. juxta *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* &

consequenter cessat remedium extraordinarium restitutionis in integrum, nisi etiam in tali casu plenius & pinguius sit remedium extraordinarium.

## §. II.

*Quibus in specie conceditur restitutio in integrum?*

**B**eneficium hoc restitutionis in integrum conceditur primò ætate minoribus, id est, qui nondum 25. annum ætatis læe exceßerunt, sive masculi sint, sive femellæ, quamvis consensu Patris, Tutoris, Curatoris & decreto Iudicis contraxerint &c. *c. Constitutus 8. h. t.* non tantùm si damnum passi sint, sed etiam ob lucrum cessans, quod consequi poterant, & ob sui facilitatem, aut imbecillitatem omiserunt. Secundò conceditur hoc beneficium pari modo Ecclesiis, non tantùm extractis jam, sed etiam extrui cæptis quo minoribus juxta *c. requisivit 1. h. 2.* (Si in suis scil. bonis lædatur, non item si in suis patrimonialibus lædatur tantùm Ecclesiæ beneficiatus, cum Ecclesiæ privilegiis, minorum gaudeant) & non tantùm Ecclesiis, sed etiam omnibus aliis locis piis, Collegiis Clericorum, & Religiosorum, Hospitalibus, si auctoritate Episcopi erecta, & fundata fuerunt; quin etiam

con-

## §. III.

*In quibus causis seu casibus in specie concedatur restitutio in integrum Minoribus, vel Ecclesiæ?*

Confraternitatibus seu Congregationibus, quæ ad pietatem, & Religionis argumentum sunt institutæ; juxta *L. omnia 24. Cod. de Episcop. & Cleric.* Et potest etiam restitutionem in integrum petere Collegium Studiorum, non quidem tanquam Ecclesiæ, aut quod privilegii piarum causarum gaudeat, sed quia in eo plerumque solent esse multi natu minores. Et hoc quidem beneficium Restitutionis, quod Ecclesiis & talibus locis piis competit, pinquius est, quàm id, quod competit minoribus, cum hi beneficium hoc petere possint, intra quadriennium à finitis minorum annis, Ecclesiæ verò, quancumque læsa fuerit, beneficium hoc petere possit. Conceditur hoc privilegium restitutionis Rebus publicis, & Communitatibus, quæ bona communia habent, per Administratores curari solita; & si iusta causa subesse videatur, etiam majores, si graviter læsi sint, hoc beneficio nonnunquam uti possunt, illæ enim Communitates cum Administratorum curæ bona earum subsint, sicuti minorum bona curæ Curatoris, pariter etiam minorum privilegio quoad restitutionem in integrum gaudent; his verò majoribus restitutionis hoc privilegium se concessurum, si iusta causa videatur, promittit Prætor, uti videre est *L. 1. ff. Ex quibus causis major. Co.* ita tamen ut ad hanc restitutionem obtinendam non sufficiat, læsionem tantum fuisse probatam, sicuti sufficit ad restituendos minores, sed probari etiam debeat iusta causa.

**I**N genere quidem dici potest, concedi hoc beneficium his, quancumque graviter læsi sunt, in specie verò sunt in jure casus aliqui expressi, & Primò quidem, si læsa fuit Ecclesiæ vel minor in contractu venditionis quoad substantiam, quia non expediebat illis, contractum illum institui, quo in casu in totum rescinderetur contractus officio judicis, & dabitur actio læsi contra quemvis alienatæ rei possessorem juxta *L. in causa 13. §. Interdum ff. de minorib.* Si verò tantum læsio fuit facta quoad precium, contractus quidem non rescinditur, justitia tamen pretii completi debet, prout sumitur ex *L. Sires 12. §. Mulier ff. de jure dot.* ut sic enim satis consulitur restituendorum commodo. Secundo restituuntur hi contra sententiam judicis, si hoc propter negligentiam Tutoris, Curatoris, aut Procuratoris, vel etiam Prælati seu Administratoris contra se lata sit (ut patet ex *L. Etiam in his 3. Cod. Si Tutor, &c. & ex c. Veniens 2. h. t.*) ita tamen ut petes Ecclesiæ optio sit, si per Prælati aut alterius Administratoris culpam læsa fuit, convenire ipsum Prælatum vel Administratorem, aut hæredes hujus ad compensationem damni, vel in integrum restitutionem petere. Tertiò conceditur restitutio in integrum Ecclesiæ, aut minori, si propter propriam negligentiam in judicio læsa sit, omitendo v. g. allegare, quæ ad causam obtinendam alleganda

ganda fuerunt, prout habetur in *L. Minor 36. ff. de Minorib. & in c. Auditus 3. h. t.* Imò contra sententiam etiam à Papa, aut alio supremo Principe latam, aut confirmatam conceditur restitutio in integrum. *c. Tum ex literis 5. h. t.* (non quidem ab inferiore, sed ab ipso supremo Principe concedendam) ita ut executio sententiæ per restitutionem in integrum regulariter & ordinariè suspendatur. *c. suscitata 6. h. t.* nisi contra petentem restitutionem adsit præsumptio, quòd maliciosè eam petat, ad impediendam executionem, & hæc adversus rem judicatam restitutio etiam majori conceditur, si justa causa probetur, prout sumitur ex *c. Ex literis 4. h. t.* negata tamen semel in judicio restitutio, quamvis Ecclesiæ aut minori facta sit, in alio judicio non conceditur, (cùm sententia lata transiverit in rem judicatam) præterquam ad instituendam appellationem, nisi novæ defensiones emergant, quæ novo indigent auxilio *c. final. h. t.*

## §. IV.

*Quà ratione Ecclesiis, vel minoribus læsis ob damnum illatum, aut lucrum cessans, succurratur per restitutionem in integrum, & an etiam minor vel Ecclesia adversus alium minorem aut Ecclesiam restituenda sit?*

**M**inoribus & Ecclesiis subvenitur per beneficium restitutionis in integrum tam ratione damni illati, quam ratione lucri cessantis, si graviter læsa sint. *c. Constitutus 8. h. t.* saltem in hoc posteriore casu, si res adhuc integra sit. Sicuti autem minor contra minorem restituitur, ita Ecclesia contra aliam Ecclesiam,

nisi par utriusque esset causa, ita ut uterque agat de damno vitando, in tali enim casu privilegiatus contra æquè privilegiatum suo privilegio uti non potest, sed res decidenda est juxta jus commune. Si verò par non sit utriusque causa, sed una pars de damno vitando, altera de lucro acquirendo agit, potius succurri debet etiam per restitutionem in integrum illi parti, quæ de damno agit, quam quæ agit de lucro captando, quamvis utraque pars privilegiata sit.

## §. V.

*In quibus casibus restitutio in integrum minoribus non conceditur?*

**P**lures enumerant jura. Et primus quidem est, si major factus expressè vel tacitè ratificavit id, quod in minore ætate gestum est. *L. 1. & 2. Cod. si major factus, &c.* quia in tali casu ratihabitio habetur tanquam renuntiatio privilegii minori competentis. Secundus est, si majorem dolosè simulavit minor, eo animo, ut ad contrahendum alterum inducat, cùm huic sua fraus prodesse non debeat. Tertius est, si veniam ætatis à Principe impetravit minor, & postmodum cum alio contrahat. *L. 1. Cod. de his, qui veniam ætatis, &c.* quia fictione juris majores hi reputantur, quibus restitutio non conceditur. Quartò non restituitur minor adversus calumniè fortuitum, qui cuilibet etiam majori, quamvis prudentissimè agat contingere possit. *L. Verum 11. Sciendum ff. de minor.* Cùm in tali casu non ob defectum ætatis, quæ meretur beneficium restitutionis, in ipso contractu læsus sit, sed ex alio casu postmodum fortuitò superveniente. Quintò: Non restituitur, si

si minor quidem, pubes tamen, spontaneo juramento contractum à se factum firmavit, juxta *Auth. Sacramenta Puberum. Cod. Si adversus vendit, &c.* nisi in contractu à minore facto, & juramento confirmato in iustitia intervenisset. Neque tamen hoc dicendum etiam est, de Prælo Ecclesiæ, cum Ecclesiæ læsa semper restituatur, etiam si Prælati juraverit, contractum se servaturum, neque rescissionem petiturum, aut admissurum, eod quod Prælati juramentum præjudicare non possit Ecclesiæ. *Sicut 27. & c. Intellecto 33. de jurejur.* sicuti potest minor jurando sibi præjudicare. Sexto non restituitur minor in delictis, quæ per dolum commisit, & Septimo non restituitur contra professionem religiosam, aut contra matrimonium, si ad eam ex falsa causa fuit inductus minor, cum hoc sit juramentum perpetuum, illa non sit in damnum animæ minoris, sed ad majus ejus bonum.

## §. VI.

*Intra quod tempus peti debeat restitutio in integrum?*

**M**inor, si læsus sit, non tantum intra totum tempus minoris ætatis, sed hæc ætate etiam expleta, vel à tempore, quo veniam ætatis impetravit, per totum quadriennium proximum petendæ restitutionis hujus habet licentiam. *L. ult. Cod. De tempore in integ. restit. Ecclesiæ* verò competit hæc petendæ restitutionis licentia, intra quadriennium à tempore læsionis (saltem cognitæ) *e. Ecclesiæ 1. h. s. in 6.* nisi rationabilis causa interveniat, quod intra quadriennium hoc agere non potuerit. &c. quæ judicem merito moriturum. *Compens.*

vere possit, ad concedendam etiam post quadriennium petitam quocumque tempore restitutionem, ad majores verò ob justam causam restituendos, quadriennium hoc currere incipit, à tempore justæ causæ, vel impedimenti, quod minus agere potuerit, remoti. Est tamen hoc quadriennium, quibuscumque conceditur continuum, ita ut continuum tam feriatis, quam non feriatis diebus currat, & ita tantum utile, ut justè impeditò non currat, tantumque postmodum quadriennio lapsò adjici debeat, quantum temporis agere non potuit restituendus; quod impedimentum etiam probare debet restituendus (sicuti probare debet minor, quod contractus v. g. contra quem petitur restitutio, minoris ætatis tempore celebratus sit) si post lapsum quadriennium hoc tempus sibi competere putet. In illo verò casu, ubi dubitatur, an tempus quadriennii sit transactum, adversario, contra quem petitur restitutio, de lapsò jam quadriennio incumbit probatio. Ecclesiæ tamen quadriennium hoc non currit, quamdiu vivit Prælati, qui res Ecclesiæ malè administrando fuit causa læsionis, si proprium ipse factum retractare nolit, vel si contra judicem, qui injustam sententiam contra Ecclesiam tulit, agere non audeat, quibus in casibus etiam post quadriennium lapsum conceditur Ecclesiæ restitutio in integrum. Imò potest etiam Ecclesiæ contra lapsum temporis restitui, in quo se læsam affirmat, & probat, ita ut si neglexit appellationem v. g. intra decennium à lata sententia interponere, possit postmodum infra quadriennium à læsione petere restitutionem in integrum.

E e tegrum

egrum ad decendium, intra quod appellare possit.

## §. VII.

Coram quo Iudice petenda est restitutio in integrum, siue quis de eâ cognoscere possit?

Ordinariè loquendo, restitutio in integrum postulanda est à Iudice illius, contra quem petitur (quia hic in tali casu reus habetur; ex communi autem regula, actor forum rei sequi debet) aut si nullum domicilium habeat, coram Iudice loci illius, ubi contractus celebratus est, & modò reperitur, contra quem petitur restitutio. Si tamen Ecclesia læsa sit, potest restitutionem petere, etiam contra Laicum, coram Iudice proprio Ecclesiastico, ratione specialis privilegii in favorem Ecclesiæ concessi, uti colligitur ex *c. i. h. r. & c. penult. De rebus Ecclesiæ alienand.* Potest autem restituere in integrum, non quilibet Iudex, qui præcisè simplicem jurisdictionem habet (nisi incidenter tantùm coram eis, moveatur) sed ordinarii tantùm Iudices, qui in loco aliquo administrationem etiam rerum aut iurium habent, & eorum delegant, siue specialiter illis commissa fuerit hæc etiam restitutionis causa, siue incidenter in controversiam demandatam veniat, prout habetur ex *c. Causa 9. h. r. & ex eo* probatur, quòd restitutio in integrum fit actus mixti imperii, & consequenter ab eo expediri debet, non qui simplicem tantùm jurisdictionem, sed qui mixtum saltem imperium habet. Adversus ta-

men sententiam definitivam supremi Principis, aut ejus Delegati, nemo inferior restituere potest, nisi id hinc specialiter commissum sit.

## §. VIII.

De forma, ac de effectu restitutionis in integrum, ac de restituendis fructibus, & expensis.

Forma petendæ, & faciendæ restitutionis est, ut intra legitimum tempus, implorato officio competentis Iudicis ea petatur, & causâ legitimè cognita, & probatâ, præsentè adversario, nisi per contumaciam absit, præmissâ citatione, & litis contestatione fiat, agendo scilicet contra adversarium, vel contra hunc excipiendo. Effectus autem restitutionis in integrum ille est, ut uanusquisque (cum qui restitutionem in integrum petit, quam contra quem petitur) jus suum integrum recipiat, & in pristinum statum, quo contraxerunt v. g. reponantur, ita ut Ecclesiæ v. g. læsa suum recipiat, & lædens etiam (si tamen bonâ fide egerit) suum pretium, & necessarias ac utiles expensas in rem emptam bonâ fide factas, ac meliorationes recipiat: Fructus autem ex fundo v. g. restituendo percepti, si in integrum restitutio decernatur, probabiliter restituendi non sunt, siue extent adhuc, siue ex illis bonâ fide consumptis locupletior factus sit. De horum tamen fructuum, expensarum, meliorationum, & c. restitutione, quia multæ litis materia esse potest, vide Auctorem hîc.